

1786. Tessera... Adamo Namurzewicz...



# TESSERA

Summæ Gratitude et Reverentiæ  
ILLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO  
ET  
REVERENDISSIMO DOMINO

# ADAMO NARUSZEWICZ

Episcopo Coadjutori Smolenscensi,  
Notario Magno, Magni Duc: Lithvaniæ,  
Equiti Ordinis Sancti STANISLAI,  
Protectori Clementissimo,  
Per Patrem Felicem Synakiewicz Reformatum  
Sæ. Majestatis Regis Poloniarum actualem Theologum, Provinciæ  
in Prussia Ex-Definitorem, S. T. L. Conventûs  
Gedano-Stolcembergensis Gvardianum  
Die 24. Decembris Divo PATRONO Sacra, Obsequiosô  
Carminis Gratulatorii officio

## MANIFESTATA

1786.



TRISTERA

27. 3. 1777  
KUNST-LEHRBÜCHER

BEVERDINGSBÜCHER

ADAM

NARUS WICZ



Quinto...  
Nobis...  
Sunt...

in...

in...

in...

in...

in...

in...

M. V. B. T. A. A.



---

Accipe parva mei Gratus munuscula Censûs  
Nec quæ sunt, sed quâ suspice mente data.

Oven.

---

**P**laudite *Pierides* (a) lætos assumite vultus,  
Gratantes: Vestræ tangite plectra Lyræ,  
Edite non fictos hilari de pectore plausus,  
Undique jactatô flore, tegente vias.  
Quid dubiæ statis? dubias depellite mentes  
Obsequiosa fas est, vertere plectra mânu.  
Vertite; non satis est tardo procedere gressu  
Immenso patuit gloria pansa sinu.

Verti-

---

(a) *Pieria* Regio in Finibus Macedoniæ inter Axium, et Aliacmonem fluvios, quam macedones pulsîs indigenis occuparunt ut ait *Plinius* Lib. 4. c. 12. Et *Strabo* L. 10. Hinc: *Pierides* musæ nominantur, quod in *Pieria* ex Jove et mnemosyne natæ sunt.



Vertitis? hæc o! quam procedunt Sole secundo;  
 Jureque procedunt quod dedit Ipsa Themis. (b)  
 Sed rogo *Pierides*, quid sunt hæc? dicite nobis,  
 Quod vestra insolitus Pectora fervor habet.  
 Uruntur pia thura focis, uruntur Odores,  
 Et quos à terra divite mittit Arabs.  
 Quid sunt? Parnassi (c) quia lucent ignibus ædes!  
 Et Cui, ut video Thura eremantur ibi,  
 Hic quis? Quem Lauro Parnasside *Jupiter* Ipse (d)  
 Vinxit, et imposuit florea Serta Comis!  
 Plaudite *Pierides* Vester Divinus *Apollo* (e)  
 Festa Colit, Cujus nomine Clara dies.

Non Illum genuit Delphus, non Mantua, sed nec  
 Dicere quit, proprio Stirpe Verona Satum.  
 Corduba, Pelignus, Colophon Urbs, vel Venusia  
 Omnes hæ (f) Vates parturière suos.  
 Mantua Virgilio gaudet Verona Catullo,  
 Laurigerum hunc Vatem Lechia Sola dedit.  
 Lechia Præstantum genitrix fæcunda Virorum  
 Quos habet, est Tali Prole beata Prens.

IIIa

(b) *Themis* est Dea Justitiæ, præcipiens hominibus id petere, quod fas est, ut ait *Festus*. Habuit vetustissimum oraculum in Boetia ad Cephisum Amnem. *Ovid. 1. metam.*

(c) Parnassus est mons in Phocide sacer Apollini. *Ovid. 1. metam.*

(d) Serenissimus STANISLAUS AUGUSTUS Rex Poloniæ, Dominus Clementissimus, Rex: Quem verè Sapientiâ Coronavit Deus, Sapiantum virorum æstimator, ac munificus Præmiator, Strenuus Litterarum Suo in Regno Restaurator, et Propagator, Hunc Polonum Apollinem, in numerum Laureatorum Poëtarum adscivit, Ejusque gratiâ Nunismata Cudi jussit.

(e) *Apollo* alio nomine Phæbus, Deus Sapientiæ, Vaticanii, et Carminum, Jovis et Latonæ Filius, natus Insulâ *Delo* eodem partu cum *Diana*: quæ et ipsa Phæbe dicitur. Adultior factus, sagittâ occidit Serpentem Pythonem: et Cyclopes. A Mercurio Citharam accepit, factus Præses musarum in Parnasso, Helicone, et Pindo.

(f) *Corduba*: Civitas Hispaniæ Bethicæ: est Patria Lucani Poëtæ.

*Pelignus* est Patria Ovidii Poëtæ. *Peligni* enim sunt Populi maris finitimi, quorum metropolis erat Sulmo

*Colophon*: Urbs est Joniæ, nobilis Oraculo Apollinis. Hinc oriundi sunt *Minermus* Poëta Elegiacus, et *Homerus*: Poëtarum omnium præstantissimus: Teste Virgilio in *Ciri*:

*Venusia* est Urbs Apuliæ, Patria *Horatii* Poëtæ, qui inde dicitur *Venusinus*.

Illa suum jactat felix natalibus Ejus;  
Excellens Cujus Sanguine Prisca *Domus*.  
Os tenerum Aonides (g) bene formavere Sorores  
Illius ut Grajo (h) mella dedere labris.  
Quæ Tu Calliope (i) quæ Tu Polymnia (k) musæ  
Carmina fecistis, talia format *Adam*.

Sunt Tibi Parnassi largè data dona, nec ulli  
Est datus *Aoniae* purior haustus aquæ.  
Optimè Tu brevibus chartis epigrammata claudis  
Et venit ad numeros, ipsa *Thalia* (l) Tuos  
Quid quid habent Solidi Docti, *Charitesque* (m) leporum,  
Quid quid musa joci, quid quid Apollo Salis.  
Quodcunque est Sophiæ, quodcunque est artis ubique,  
Ingenii, aut genii quid quid ubique viget.  
Omne id *Adame* Tuis reor infedisse libellis  
Verus Castalii, (n) Præses *Apollo* chori.  
Hinc: Si Pythagoræ (o) non fallunt dogmata; Corpus  
Intrarunt Pallas, musa et Apollo Tuum.

Nec minor est doctæ Tibi *Praesul* gratia Linguæ,  
Nec minor eximiò fulgurat ore decor.  
Carmine feu libeat fluere, aut Cicerone tonare,  
Rhetoris, et Vatis munera ritè subis

Nec

---

(g) *Aonia* est pars montana Boetiæ. Nam *Aones* erat populus vetustus in Boetia, a quibus *Aones* montes dicti sunt, in quibus reperitur fons *Aganipe*: qui dicitur fons Aoniæ. Item: *Aonides* vocantur musæ, quibus ille fons dicatus fuit.

(h) *Grajus* id est Græcus: denotat *Homerum* Poëtarum Græcorum Principem.

(i) *Calliope* est una musarum, et quidem præstantissima, quæ præest versibus Heroicis.

(k) *Polymnia* una musarum, à magnitudine memoriæ sic dicta, præest Carminibus Arte Odarum Scriptis.

(l) *Thalia* est una musarum ex novem. Item: una gratiarum, à græco Verbo *tallo*.

(m) *Charites* id est *Gratiæ*: dicuntur tres Filiae Jovis et Eurymones scilicet: *Aglia*, *Euphrosyne*, et *Thalia*.

(n) *Castalius* est fons in radicibus Parnassi Musis dicatus, quæ ex hoc vocantur *Castalides*.

(o) Pythagoras Philosophus *Samius*, primus est adstructor metempsychoseos, id est: transmigrationis animarum de Corporibus in alia Corpora post mortem.



Nec genitus *Maja* (p) nec *Pallas* amicior ulli,  
 Quàm Tibi, Cui calamo divite <sup>vena</sup> ~~penna~~ fluit.  
 Addidit ingenii volucer *Tegaeus* (q) acumen,  
 Adjecit lepidos mellea *Svada* Sonos.  
 Cujus in Ore lepos talis, facundaque *Pitho* (r)  
 Qualis in arguta voce *Periclis* erat (s)

Sola ne *Calliope* Te *Vatum Maxime* ditat?  
 Historiæ *Celebrem* dogmate *Clio* (t) facit.

Qua sine: præteritæ non esset mentio vitæ,

Qua sine: *Virtuti* nullus adesset honos.

Hæc facit, ut longos durent bona gesta per *Annos*,  
 Et possint, serâ *Posteritate* frui.

Suscipis *Historiæ* scribendæ (u) munus et *Orbi*  
*Pandis*, sit quantis *Lechia* macta bonis.

Quæ *Regum Series*? quæ factis digna patrârunt?

Qui mores hominum? *Conditioque Soli*.

Est exacta Tibi antiquorum *Cura Librorum*,

Digna *Cedrô*: et proprio *Condere marte* potes.

Eruis

- 
- (p) *Maja* *Atlantis* Filia (fuit ex *Plejone* *Nympha*) ex qua *Jupiter* *Mercurium* Suscepit.
- (q) *Mercurium* qui dicitur *Dens eloquentiæ*, et *interpres* aut *Nuntius Deorum*, *Stadius Auctor*, *Tegæaticum* appellat.
- (r) *Pitho* *Persvasionis* *Dea* à *Veteribus* *Credita* est, quam *Ennius* *Svadam* *Horatius* *Svadelam* appellavit. *Accipitur* et pro *persvadendi* vi, quæ *animum Auditoris* quocunque visum fuerit *inflectit*.
- (s) *Pericles* *Atheniensis* *Vir Clarissimus* qui *Annis* *quadraginta* in *Administratione* *Reip.* principatum tenuit. *Hic plurimum* et *authoritate*, et *eloquentia* pollebat; *Unde et Olympius* *identidem* à *Poëtis* *Comicis* appellabatur, quod *tonare* in *Concionibus*, et *fulmen* *Ciere* videretur.
- (t) *Clio* *Una musarum* ex *Novem*, apud *Hesiodum*, in *Theog.*: dicitur a *gloria*, quod *Poëtis* ex *Carmine* *gloria* nascatur. *Hæc musa* præest *Historiæ*.
- (u) *Jam ad præsens* *Octavus Tomus Historiæ* *Gentis* *Polonæ*, cui in *Lingva vernacula* *Titulus: Historia narodu Polskiego* summo cum *plausu*, *manibus* *Eruditorum* teritur. *Libris Historiæ* *Ejusmodi* (partim: ob *elegantiam* *Styli*, partim: ob *miram*, et *subtilissimam* *Combinationem* *Contradictoriorum* in *veteribus* *Historicis* *repertorum*, partem: ob *clarissimam* *elucidationem* *dubiorum*, *obscuriorumque*, partim: ob *additionem* *doctissimarum* *notarum*, partim: ob *Solidissima* *fundamenta*, *authoritate*, et *ratione* *firmata*;) *nullis*: ex *Antiquis* *Scriptoribus* sunt *pares*.



Eruiſ è tenebris longo ſquallore Sepulta  
Et facis, hic Civis quilibet eſſe queat.  
Sic nempe: Hiſtorici menſuram Nominis impleſ,  
Omnis ut ingenio clara ſit Ora Tuò.  
Extant magna Tui *Praeſul* monumenta laboris  
Quæ dare nunc magni vix potuère DEL.  
Subjicis aſſiduè tot terſa volumina prelo, (v)  
Facundo multas Peſtore fundis opes.  
Heu! quantas grates Tibi debet Terra Polona!  
Quod Curam Illius Poſteritatis habes.  
Rem feciſti hodie *REGI* Regnoque placentem,  
Unum hoc pro Cunctis fama loquetur Opus.  
Laus Tua cum terra ſtabit, Cæloque manebit;  
Nec, niſi cum mundus concidet ipſe, cadet.

Digna legi ſcribis, facis et digniſſima ſcribi,  
Scripta probant Doctum Te, Tua facta Probum.  
A teneris idem tenor et Conſtantia vitæ,  
Arguit ingenii vim geniumque Tui.  
Te non adverſæ timidum, tumidumve Secundæ  
Res faciunt, eadem frons Tibi menſque manet.  
Cura, Fides, labor, ingenium, vigilantia *Praeſul*,  
Fecerunt Carum Civibus eſſe Tuis.  
Fecit et in Populo Tua Spectatiſſima Virtus,  
Ne quis adulari me Tibi poſſe putet  
Eſt benè nota Fides Tua Civî, *Ariſque Thronoque*  
Sunt nivei mores, eſt ſine Vita dolo  
Quæ pia ſunt Ariſ, quæ Regno Commoda, præſtaſ;  
Sic: in Te Civis, Paſtor, uterque bonus.

Tantiſ dum claret bene-geſtiſ Veſter *Apollo*;  
Qualia *Pierides* vota Sacraſ Ei?  
Adſit honoratiſ numeroſò parta labore,  
*INFULA* digna Comiſ, *INFULA* digna Virò.

Vivito

---

(v) Sexdecem Tomi variorum operum prodierunt de ſub-prelo, ſummam eruditionem, exactam rerum notiſiam, ſolidamque doctrinam ſpiranteſ.

Vivito *Castalidum* decus immortale Sororum,  
Talia Sæcla precor, qualia *Nestor* (w) habet.  
Quæ: si longa nimis reculas? vive tot Annos,  
Quot mea Musa Canit Carmina. *VIVE* precor.

---

(w) *Nestor* Filius *Nelei*, et *Cloridis*, Rex *Pili*, qui adhuc Adolescens bellum gessit adversus *Eleos* Peleponesi Populos. Senior factus cum quinquaginta navibus: quibus præerat, ad bellum Trojanum venit, cum trecentesimo annum ageret. Ubi Consilii dexteritate plurimum Græcorum rebus profuit. Hic erat facundus, et dulci eloquio, ut ex *Ejus Ore*, melle dulcior fluere videretur Oratio. *Ovid. Lib. 13.*







XVIII. 1229  
XVIII. 2. 1930  
ad.